

mus; ejusmodi vestes et loricae longiores in monumentis Assyriorum depictas conspicis. — Vestimenta et arma eo ordine recensentur, non quo Ionathas ea exiit, sed quo David eadem induit. *Usque . . . usque* gradationem exprimit: imo et gladium suum, et arcum suum, et balleum suum. Licet arma non essent tum ita rara in Israel uti 13, 22, magno tamen pretio habebantur, unde specialis caritas ex eorum dono elucebat. Praeter signum amoris, videtur Ionathas id etiam intendisse, ut Davidi habitum regiae aulae convenientem provideret. Hinc etiam mox David bellatoribus, imo ducibus adnumeratis est.

v. 3 « *Egrediebatur quoque David ad omnia, quaecumque misisset eum Saul, et prudenter se agebat* ». Syr. pro causa ponit effectum et vincebat. « *Posuitque cum Saul super viros belli, et acceptus erat in oculis universi populi, maximeque in conspectu famulorum Saul* », qui, cum ex tribu imprimis essent Benjamin 22, 7, non ita fortasse primum faverant iuveni de tribu Iuda.

B. Latentes Saulis insidiae 1 Reg. 18, 6-29.

Brevis haec ceteroquin pericope revertitur ad illam, quam in Historia Samuelis observabamus, paragraphorum seu stropharum divisionem, eamque valde artificiose exarata. Describendum susceperat s. auctor inimicitiarum Saulis a levi displicentia usque ad consummatum odium progressum, ob intellectas cum Davidis eximias dotes, tum crescentem in dies populi favorem. Quae duo motiva auctor in clausulis paragraphorum continuo repetit. Et duae quidem sunt strophae, quarum prior 6-16 prima infensi animi tentamina describit, altera maturius consilium Davidis desiderio regiarum nuptiarum in perniciem agendi. Illa clauditur verbis v. 16 « *Omnis autem Israel et Iuda diligebat David etc.* », haec verbis v. 28 « *Michol autem, filia Saul, diligebat eum* », quibus hominum favorem expressum habes. Prior rursus stropha tribus conficitur membris. Primum recoli ortarum inimicitiarum occasionem: « *Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat David etc.* ». Secundum consilium refert effectum adhuc carens transfigendi Davidis: « *Et timuit Saul David, eo quod Dominus esset cum eo, et a se recessisset* ». Tertium Davidem ostendit specioso praetextu ab aula semotum bellique periculis permissum: « *Vidit itaque Saul, quod prudens esset nimis, et coepit cavere eum* ». Similia verba, post absolutam alteram stropham, totam pericopen concludunt: « *Et Saul magis coepit timere David, factusque est Saul inimicus David cunctis diebus* ». Qua artificiosa repetitione, Saulis odium eiusque motiva perquam vivide illustrantur.

4) Insidiarum initia 1 Reg. 18, 6-16.

a. Ortarum inimicitiarum occasio 1 Reg. 18, 6-9.

v. 6 « *Porro cum reverteretur percusso Philisthaeo David, egressae sunt mulieres de universis urbibus Israel, cantantes chorosque ducentes in occursum Saul regis, in tympanis laetitiae et in sistris* ».

Praeter Vulg. omnes ita: *Porro in adventu eorum*, se. Saulis et exercitus, cum reverteretur David etc. Aliqui (apud *Mab.*) genitivum *Philisthaei* intellexerunt genericè, i. e. *Philisthaeorum*: sed cur ita ille reditus prae ceteris Davidi tribuatur, cum etiam reliqui Philisthaeorum caede occupati fuerint? Ergo planius vox de Goliath intelligitur. Re utraque expositio coincidit, cum David non prius a caede Goliath se receperit domum, quam totum bellum esset absolutum, in quo multos etiam alios v. 7 ipse occidit. Hinc etiam patet longius hos omnes eventus occupasse tempus, cum prius David caeso Philisthaeo sit domum reversus, dein aliquanto post a rege psalles accessit, bellicis expeditionibus adhibitus et militari honore insignitus. Non absolum videtur, his omnibus aliquot assignare annos: secus, ne decenti quidem veri superlatio, potuisset David dici interemisisse decem millia. — *Sistrum* שִׁירֵיט videtur aut triangulum fuisse aut trichordium. *Hebr. in tympanis et laetitia et sistris*, ubi admirationem facit *laetitia* musicis instrumentis adnumerata. Quare *Then.* eam vocem cum *Syr.* et *Is.* ultimo loco collocat: *Fürst* putat nomen esse cuiusdam instrumenti, idemque videtur sensisse *Is.* vertens « et in omni genere laetitiae ». Apposite *Welh.* citat 1 Par. 13, 8: « cum omni virtute, et canticis, et citharis, et psalteriis etc. » Ergo stare licet textui.

v. 7 « *Et praecinebant mulieres ludentes atque dicentes: Percussit Saul mille, et David decem millia* ». *Hebr.* Alternantesque canebant mulieres ludentes. Ex Ex. 13, 21 (cf. 13, 4) reapse probabilis fit coniectura *Clair*, versum hunc nostrum a mulieribus esse repetitum post singulas strophas epinicii eiusdem; vel, quod habet *Is.*, prius hemistichium a nuptis, alterum ab innuptis esse decantatum. Per *mille* significari *multos*, per *miriadas* (*Hebr.*) vero *multo plures*, iam perspexere *Vatabl.*, *Sa.*, *Menoch.*; aliasque eiusmodi cantinnuculas aliunde petitas comparationis gratia congescit *Mab.* *Mille* etiam alias indeterminate sumi pro magno numero, disce ex Iud. 13, 15: « Inventamque maxillam arripiens, interfecit in ea mille viros ». רבבה primitus multitudinem, numerum valde magnum significat: Gen. 24, 60; Ps. 90 (91), 7; Lev. 26, 8; significatio *decem millia* (cf. Iud. 20, 40) non est nisi derivata. Mulieres certe hunc sensum intendebant: Percussit Saul plurimos, sed David longe plures. Cur tantum numerum Davidi tribuebant? quod videtur. Saul pugnaverit, quod rege violento ac suspicioso esset acceptior. v. 8 « *Iratus est autem Saul nimis, et displicuit in oculis eius ser-*

mo iste, dixitque: Dederunt David decem millia, et mihi mille dederunt: quid ei superest, nisi solum regnum? » Vix credibilem censet Welth. motum irae tam subitum tamque vehementem: verum is in homine animi impote et a malo spiritu instigato intelligitur. Dein notandum, res nobis in hac narrationis parte indicari tantum per modum compendii: Davidis reditus domum post caesum Goliath reticetur, facinora bellica innuuntur solum; multo minus omnes nobis cogitationes Saulis describuntur. Torquebatur in continuis suspicionibus, et ubique futuri regis umbram capiebat. Vix dubium est, cum dudum eiusmodi suspicionibus in Davidem, cui omnes favere, esse stimulatum: eae nunc tandem in apertas querelas proruperunt.

LXX omittit ultimum incisum et reliqua usque ad v. 13, habet tamen priora v. 12 verba. Sed *Ios.* legebat in suo LXX exemplari illud incisum, *Theodoret.* legebat v. 10, 11 et alteram v. 12 partem: ergo probabilis est, LXX primitus legisse, quod reliqui textus ad unum omnes legunt.

v. 9 « *Non rectis ergo oculis Saul aspicebat David a die illa et deinceps* ». Quae postea evenerunt, summatic recensentur; v. 10 ad particulare quoddam factum redit. — *וַיִּצְרֹף* explicat *Ges.*, ut sit denom. ab *וַיִּצְרֹף oculis*; ergo *sinistre aspicebat* (*Vulg. Alex. Syr.*). *Chald. insidiabatur.*

b. Consilium effectu carens transfigendi Davidis 1 Reg. 18, 10-12.

v. 10 « *Post diem alteram* », i. e. die triumphalem ingressum consequente, « *invasit spiritus Dei malus Saul, et prophetabat* » — recte *Chald. et insaniebat*, eadem voce *שָׁרַץ* usus *Ier.* 23, 9 ad ebrietatis effectum exprimendum — « *in medio domus suae; David autem psallebat manu sua, sicut per singulos dies* ». Tempus notabilis intercesserat inter illum ingressum et Goliath caedem: quare falso conqueritur *Then.* deesse tempus, quo v. 2 et 3 relata evenerint. Fuit tempus, quo accessit Davidem Saul diligere, quo eo ad expeditiones bellicas uteretur; tandem illum aversari coepit. Cf. *Himpel*, l. c. p. 88 sqq.

« *Tenebatque Saul lanceam* », v. 11 « *et misit eam, putans, quod confingere posset David cum pariete; et declinavit David a facie eius secundo* ». Verte: Et sustulit Saul lanceam, cogitans: Configam David cum pariete; et declinavit David a facie eius bis. *Masor. Vulg. Syr.* punctant *וַיִּצְרֹף* *וַיִּצְרֹף* extendere, iacere; melius *LXX Chald. וַיִּצְרֹף* *attollere*. Saul igitur videtur bis, sive eodem sive diversis diebus, contra Davidem insurrexisse ictumque attentasse; sed fortasse cohibitus est ab aliis, saltem non dicitur lancea, sicut 49, 10, in pariete haesisse (*Clair, Himpel*). David

aut coram perseverabat aut, brevi intermissa mora, revertebatur, quod rem insaniae magis, quam infenso adscriberet animo. v. 12 « *Et timuit Saul David, eo quod Dominus esset cum eo, et a se recessisset* ». Saepe insanum odium abiectus timor consequitur. Intime perceperat Saul, Dominum a se recessisse; nunc, omnem Davidis motum invito scrutans oculo, coepit conscius fieri divinae assistentiae in illum translatae. Verba eo quod etc. notant *Masor.* in aliis codicibus deesse; desunt in *LXX*. Cf. dicta ad v. 8.

c. David specioso praetextu ab aula remotus 1 Reg. 18, 13-15.

v. 13 « *Anovit ergo eum Saul a se, et fecit eum tribunum super mille, et egrediebatur et intrabat in conspectu populi* », seu, uti v. 16 habetur, « *ante eos* », i. e. Israel et Iuda. *Egrediebatur et intrabat* aut sumitur ut *וַיֵּצֵא וַיָּבֹא*: constanter versabatur ante eos, cf. *Deut.* 28, 6, 49; 31, 2; aut intelligitur de egressu ad pugnam et de reditu post partam victoriam (*Vatabl., Sa*). Populus favebat Davidi (cf. v. 16), vel quod eum constanter prae oculis haberet, vel quod eum iis temporibus aspiceret, quibus aut spe victoriae elatus egrederetur, aut triumpho parto reverteretur. Possunt etiam *populus* intelligi milites, quibus aliis temporibus aliis praecisset David, modo uni, modo alteri turmae: ante quos ille constanter gradiebatur, nulli se periculo vel labori subducens; quod magnam duci apud milites gratiam conciliare consuevit. v. 14 « *In omnibus quoque viis suis David prudenter agebat* » (cf. v. 5), « *et Dominus erat cum eo* » (cf. 16, 13; 18, 12, 28). v. 15 « *Vidit itaque Saul, quod prudens esset nimis, et coepit cavere eum* ». *Hebr. verebatur eum.* v. 16 « *Omnis autem Israel et Iuda diligebat David; ipse enim ingrediebatur et egrediebatur ante eos* ».

Putat *Then.* v. 13 et 14 repeti eadem facta, quae iam v. 5 narrabantur, narrationem ex variis centonibus esse consutam. *Errat.* v. 5 agit de actis David, dum adhuc comitatus Saul adnumeraretur, quibus actis sibi favorem conciliavit « *etiam in conspectu famulorum Saul* ». « *Viri bellatores* » v. 5 non sunt necessario iidem « *mille viri* », quibus v. 13 permanenti honore praepositur. Prius ut armiger aulae adscriptus fuerat, necnisi quibusdam occasionibus ad bellicas expeditiones mittebatur: nunc chiliarchi munere fungebatur, necnisi hinc inde aulae se iungebat. Ita sane *Ios.*: « *A priori armigeri munere semotum, quod ex formidine propinquo sibi et vicino videretur, militum tribunum creat, dato quidem ei loco potiore, sibimet vero, uti putabat, tutiore* ». v. 14-16, pro mutatis circumstantiis, ea affirmat perdurasse, quae iam v. 5, 12 fuerant narrata. Davidis prudentia etiam magis extollitur, addita voce *nimis*.

2) Insidiae praetextu nuptiarum regiarum 1 Reg. 18, 17-28.

v. 17 « *Dixitque Saul ad David : Ecce filia mea maior Merob, ipsam dabo tibi uxorem* ». Cf. 14, 49. Promiserat Saul filiam 17, 25 ei, qui Goliath interemisisset; favore populari adactus, nunc tandem de implenda promissione cogitat. v. 17-19 desunt apud LXX Ios. et, secundum Masor., in quibusdam ms.; legebantur a S. Ignatio, Orig., Theodoret., Procop., (Verc.). « *Tantummodo esto vir fortis, et praeliare bella Domini* ». Hac promissione obtinendarum nuptiarum inducendus sperabat David, ut se incautus hostibus obiceret et ita perimeretur. Voce *bella Domini* inflammandus et illicendus erat pius Davidis animus (Clair). « *Saul autem reputabat, dicens : Non sit manus mea in eum, sed sit super eum manus Philistinorum* ». Cf. 2 Reg. 12, 9. Verba continent poenitentiam eius consilii, quo v. 11 studuerat Saul Davidem configere. Simul ostendunt eum etiam tum, quando sui plene compos erat, in cogitationibus invidiae et odii perseverasse. Vide viri exiguam fidem, qui simul Davidem aemulum a Deo regno destinatum suspiciebatur, et tamen Philisthaeorum manibus interim posse sperabat. v. 18 « *Ait autem David ad Saul : Quis ego sum, aut quae est vita mea, aut cognatio patris mei in Israel, ut fiam gener regis?* » David nuptiis regis obicit humilem originem, quae nulla regis liberalitate sanari queat. Prudentis haec potius responsio est, quam abiecte de propria conditione sententis; quae enim Davidem inter pastorem regisque filiam, qui ipse pastor fuerat, tanta disparitas! Oportebat tamen magnam oblatae honoris aestimationem profiteri. Vel etiam David illum reapse declinare studebat, quod regis mentem ad divinaret aut haberet compertam: fortasse enim rex, quibus temporibus insaniebat, intima cordis consilia effutiebatur.

Difficultatem habet *בן חיי*, *quis est vita mea*. Wellh. punctans *חיי*, formam esse putat dialecti nescio cuius. Cur non aequè bene retineamus punctationem Masor. omniumque versionum *חיי vita mea*? At eum hac quomodo quadrat pronomen *quis*, quod non nisi de personis usurpat? Insuper sequentia copula caret: *quis est vita mea cognationis patris mei*, quam tamen supplere Vulg. Syr. Ergo per *חיי* censendae sunt aliquae personae designari, quarum vis vocis sensus non sit usitatus. Verisimile igitur est, quod habet Wellh., sequens *cognatio patris mei* esse glossam, explicandi *חיי* causa adscriptam. In quem sensum etiam trahi potest Vulg. aut.

v. 19 « *Factum est autem tempus, cum deberet dari Merob, filia Saul, David, data est Hadrieli Molathitae uxor* », qui 2 Reg. 21, 8 filius scribitur Berzellai, Molathithes dictus fortasse ab Abel Mehula tribus Issachar, haud longe a Bethsean et a Iordane sita, patria Elisaei prophetae: Iud. 7, 23 (22); 3 Reg. 4, 12; 19, 16. « Ferendum esset mitius, si debi-

tam negaret; at oblatae auferre, dolor est et ignominia maxima », cf. Iud. 15 (Sanct.). Videtur Saul exspectasse, Davidem, desiderio eorum nuptiarum abreptum, iam ante illas pugnans esse interiturum; vel, qua erat ingenii inconstantia rex, prius consilium abdicavit. v. 20 « *Dilexit autem David Michol, filia Saul altera* ». Non e Davidis corde hic amor originem duxit, regis malae fidei haud ignari. « *Et nuntiatum est Saul, et placuit ei* ». v. 21 « *Dixitque* », i. e. cogitavit cf. v. 17, « *Saul : Dabo eam illi, ut fiat ei in scandalum, et sit super eum manus Philistinorum* ». Agitur proxime de promittenda uxore; sed ubi David conditionem perdifficilem v. 27 implevit, non ausus est rex secundo promissa denegare.

« *Dixitque Saul ad David : In duabus rebus gener meus eris hodie* ». Hebr. Secunda vice (Calm., et cf. Iob 33, 14; 2 Esdr. 13, 20) generum te praebis mihi hodie. Prima vice praebuerat, quando se paratum professus est ad Merob ducendam. Verba desunt apud LXX et, secundum Masor., in quibusdam ms.; ergo in iisdem fontibus, ubi desiderantur v. 17-19, quibus eum re copulantur. Quidam respondit David regi haec proponenti? Aut nihil respondit, si id sine regis offensione fieri poterat, aut eadem fere, quae v. 18. Hinc iam rex coepit agere per alios clam, quasi propriam, non regis mentem loquerentur, quo citius Davidi placeret (v. 26) consilium. v. 22 « *Et mandavit Saul servis suis : Loquimini ad David clam me, dicentes : Ecce places regi, et omnes servi eius diligunt te. Nunc ergo esto gener regis* ». v. 23 « *Et locuti sunt servi Saul in auribus David omnia verba haec. Et ait David : Num parum videtur vobis, generum regis esse? Ego autem sum vir pauper et tenuis* ». Hebr. bis eadem radice utitur: *Num parvi aestimatur a vobis etc.? Ego autem sum vir pauper parvaeque aestimationis, ergo par solis rebus parvae aestimationis perficiendis, et tenui doti afferendae*. v. 24 « *Et renuntiaverunt servi Saul, dicentes : Huiuscemodi verba locutus est David* ». v. 25 « *Dixit autem Saul : Sic loquimini ad David : Non habet rex sponsalia necesse, nisi tantum centum praepudia Philistinorum, ut fiat ultio de inimicis regis* ». Praepudia afferenda erant argumentum totidem interemptorum hostium, uti alias praecisa capita. Falso autem tenet Duguet, requisita esse praepudia, ut certo constaret Philisthaeos, non Hebraeos, esse occisos: quamnam rationem potuit David habere mactandi Hebraeos? Tantum numerum requirebat Saul, quo ferocius David Philisthaeos adoriretur, et ita eorum manibus interiret. « Porro Saul cogitabat tradere David in manus Philistinorum ». v. 26 « *Cumque renuntiassent servi eius David verba, quae dixerat Saul, placuit sermo in oculis David, ut fieret gener regis* ». Non puto, quod habet Clair, Davidem Saulis dolum non perspexisse; sed divini in servanda vita auxilii

securus erat; non poterat non assentiri suggestioni regiae tam explicitae; coniciebat, hac vice haud fore in potestate Saulis, filiam ei denegare, qui insigni victoria rursus omnium in se animos convertisset. v. 27 « *Et post paucos dies surgens David, abiit cum viris, qui sub eo erant. Et percussit ex Philisthaim ducentos viros, et attulit eorum praepudia, et annumeravit ea regi, ut esset gener eius. Dedit itaque Saul ei Michol, filiam suam, uxorem* ».

Discrepant numeri. Apud LXX Saul centum praepudia postulat, centum recipi; apud Syr. ducenta postulat, ducenta recipi; apud Hebr. Vulg. Chald. centum postulat, ducenta recipi; *Ios.* ceteris audacior Davidem narrat, « caesis plurimis, sexcenta attulisse capita ». Notat Wellh., « ויבואו » et *explicit ea*, indicare, numerum qui allatus est, fuisse aequalem numero, qui petebatur; ergo lectionem LXX esse praefendam. At ea vox refertur ad numerum immediate praecedentem: attulit praepudia occisorum, totumque eorum numerum exsolvit regi; ubi non definitur, fuerintae occisi centum aut ducenti.

v. 28 « *Et vidit Saul et intellexit, quod Dominus esset cum David* ». Non otiose haec verba repetuntur, cf. v. 12. 14. Hoc unum regis invidia penetrare studebat, quisnam ille esset, quocum esset Dominus, qui recessisset a se. Quidquid Davidi prospere cederet, confirmabat dudum conceptam suspicionem, cum Davide esse Deum, Davidem regno destinari. « *Michol autem, filia Saul, diligebat eum* ». Michol regem adegorat, ut hac vice staret promissis; eadem mox 19, 11 sqq. Davidis vitam servavit. — Adverte in his benignam Dei providentiam. Abiecerat is quidem Saulem, eiusque posteritate regno exclusa, illud Davidi promiserat. Sed poterant adhuc res summo Saulis honore componi. Standum solummodo ei erat promisso, quo se futurorum ignarus obstrinxerat, filiam matrimonio dandi ei, qui devicisset Goliath. Tum ipse rex electus familiae adsciscabatur Saulis, sceptrum in alienum non transferebatur. Quam gratiam cum Saul prima vice in facto Merob repudiasset, oblata est ei eadem gratia secundo: exarsit Michol amore Davidis; Ionathas, omnes servi regis, universus populus illud connubium expetierunt et impetraverunt. Sed ignoravit rex miserimus gratiam sibi quadamtenus obtusam.

v. 29 « *Et Saul magis coepit timere David* », nunc regis generum factum. Sequentia usque ad finem capituli desunt apud LXX et in quibusdam ms. hebr. « *Factusque est Saul inimicus David cunctis diebus* ». Hic versus veluti *clausula* est omnium inde a v. 6 narratorum.

C. Patens Saulis odium 1 Reg. 18, 30-20, 43.

Iam a latentibus insidiis in apertas inimicitias Saul prorumpit. Tres sub hoc capite veniunt articuli. Primum Saul ad necem Davidis suos adhortatur, reconciliatione per Ionathan effecta. Secundo ipse Saul Davidem quaerit interficiendum, in domo regia, in propria Davidis domo, tandem in ipso prophetarum coenobio; ubi David servatur primum sua agilitate, inde uxoris sollicitudine, denique divini spiritus interventu. Concluditur totum caput reconciliatione Davidis cum Saule per Ionathan frustra quaesita.

1) Saul suos ad necem Davidis provocans 1 Reg. 18, 30-19, 7.

v. 30 « *Et egressi sunt principes Philistinorum; a principio autem egressionis eorum prudentius se gerebat David, quam omnes servi Saul, et celebre factum est nomen eius nimis* ». Verte: *quandocumque autem egrediebantur, prudentius etc.*; hunc esse sensum locutionis, patet ex 3 Reg. 14, 28. Hoc versu Davidis prudentia magis etiam, quam id v. 5. 14. 15 factum fuerat, commendatur ex numero expeditionum, comparatione aliorum regis servorum, et gloria comparata. Cap. XIX v. 1 « *Locutus est autem Saul ad Ionathan, filium suum, et ad omnes servos suos* », post acceptum nuntium de rebus a Davide tam feliciter gestis, « *ut occiderent David* ». Hebr. *de occidendo David*; non, ut ipsi occiderent, id enim Ionathae certe non dixit; sed generatim, eum occidi oportere (*Keil*). Sanct.: « cum res fraudulentis tentata consiliis non procederet, in aperum erupit, quae latere diu non poterat invidia, et ex ea ortum odium implacabile ». Non potuit silere invidia, pererebrescente Davidis fama. « *Porro Ionathas, filius Saul, diligebat David valde* ». v. 2 « *Et indicavit Ionathas David, dicens: Querit Saul, pater meus, occidere te; quapropter observa te, quaeso, mane, et manebis clam, et absconderis* ». Mane, i. e. *cras mane (LXX)*; videtur Ionathas vespere convenisse Davidem; fortasse etiam rex vespertino tempore insaniebat, matutino sapiebat. Abscondere, ut absens credaris, dum prope ades. v. 3 « *Ego autem egrediens stabo iuxta patrem meum in agro, ubicumque fueris* ». Describuntur loci frequenti usu familiares: Ego, egressus domo, stabo in agro, qui prope domum est, quem nosti, et tu eris ibi absconditus. Cur vero Davidi latendum erat in illo agro? ut suis auribus regis verba audiret, inquit *Then.*; melius secundum sequentia: quo expeditus Ionathas illum regis mentem edocere posset, nec diuturnior Ionathae absentia suspicionem crearet. « *Et ego loquar de te ad patrem meum, et quodcumque vi-*

dero, nuntiabo tibi». *Hebr. et videbo, quid; et indicabo tibi*; ubi recte supplet *Syr. et videbo, quid in mente eius sit*. Norat Ionathan, ea nocte caedis propositum patris menti inesse, sed sperabat meliora consilia mane esse praevalitura. v. 4 « *Locutus est ergo Ionathas de David bona ad Saul, patrem suum, dixitque ad eum: Ne pecces, rex, in servum tuum David, quia non peccavit tibi, et* » imo « *opera eius bona sunt tibi valde* ». Triplex pro Davide argumentum tangitur; quod sit servus, innocens, utilis; ob quam triplicem rationem iniuria afficiendus non est. Iam eius utilitatem accuratius exponit v. 5: « *Et posuit animam suam in manu sua* », periculum sponte subiit, vitam veluti manu gestans, ut eam, si opus esset, illico abdicare posset (cf. 28, 21; Iud. 12, 3), « *et percussit Philisthaeum, et fecit Dominus salutem magnum universo Israeli* », quia Dominus erat cum eo (cf. 17, 37; 18, 12): « *vidisti, et laetatus es. Quare ergo peccas in sanguine innocuo, interficiens David, qui est absque culpa?* » v. 6 « *Quod cum audisset Saul, placatus voce Ionathae, iravit: Vivit Dominus, quia non occidetur* ». Reliqui: *Et auscultatus est Saul voci Ionathae, et iravit*; ubi adverte assonantiam verborum יִשָּׁע יִשָּׁע. Hinc et ex 14, 24 infert *Cler.*, fuisse Saulem ad irandum prouorem: fuit utique, sed hac occasione sufficientem habuit rationem. Eo iuramento nihil sacrius esse poterat ad Davidem securum reddendum. v. 7 « *Vocavit itaque Ionathas David, et indicavit ei omnia verba haec; et introduxit Ionathas David ad Saul, et fait ante eum, sicut fuerat heri et nudius tertius* ». Rursum receptus est in familiam Saulis, a qua 18, 13 fuerat amotus, rursus armigeri et psaltis munus recepit (cf. v. 9), non abdicatione ducis officio (v. 8). Reconciliatio fuit sincera, sed ob regis animi inconstantiam effectus caruit (*Calm.*).

2) Saul Davidem interficiendum perquirens 1 Reg. 19, 7-24.

v. 8 « *Motum est autem rursus bellum, et egressus David pugnavit adversum Philisthaim, percussitque eos plaga magna, et fugerunt a facie eius* ». *Hebr.* potest etiam verti *incaluit autem bellum*, ut non de bello ab illo 18, 30 diverso agatur. Insignior haec prioribus victoria et acclamationes, quibus fortasse rediens David exceptus est, Saulis furorem redintegravit. v. 9 « *Et factus est spiritus Domini malus in Saul; sedebat autem in domo sua, et tenebat lanceam* », « *dignitatis insigne* (cf. 22, 6), sine quo non magis in publicum prodilat Saul, quam Pharaones sine securi, flagello et baculo, reges Assyriorum sine gladio et arcu » (*Weiss*); « *porro David psallebat manu sua* ». v. 10 « *Nisusque est Saul configere David lancea in pariete, et declinavit David a facie Saul*

lancea autem casso vulnere perlata est in parietem », — minus ornate reliqui *et infixit lanceam parieti* — « *et David fugit, et salvatus est nocte illa* ». *LXX Ios.*, suppletentes יָמָיו, verba *et factum est nocte illa* ad sequentia trahunt, satis apte; secus dicendum est, voce *nocte illa* totam reliquam usque ad v. 12 narrationem anticipari. v. 11 « *Misit ergo Saul satellites suos in domum David, ut custodirent eum, et interficeretur mane* ». Ideo fortasse *mane*, ut aliqua iudicii species adhiberetur (*Ios.*). David securus domum se receperat, ratus furorem regis, uti alias, paulatim esse remissurum. Latuit eum satellitum adventus, non latuit uxorem. « *Quod cum annuntiasset David Michol, uxor sua, dicens: Nisi salvaveris te nocte hac, cras morieris*; » v. 12 « *deposuit eum per fenestram; porro ille abiit et aufugit, atque salvatus est* ». In cuius liberationis memoria concinit David Ps. 58 (39). v. 13 « *Tulit autem Michol statuam, et posuit eam super lectum, et pellem pilosam caprarum posuit ad caput eius, et operuit eam vestimentis* ». *Hebr.* Teraphim, i. e. idolum tutelare, cf. Gen. 31, 19; Iud. 17, 3.

Vox articulum habet, ergo designatur illud determinatum teraphim, quod in domo asservabatur; videtur autem illud humani corporis, vel saltem faciei, formam esse imitatum. כְּבִיִּל, quod apud *LXX Ios.* corruptum legebatur כְּבִי יֵעוּר, cum *Hebr. Yabtbl.*, Castellii vertendum est *puleinar*, quam significationem stabilit 4 Reg. 8, 15. Pro *vestimentis* verto *stragula*, cf. 1 Reg. 1, 1. Altera vox praefixum habet תָּרַח, altera articulum: ergo designantur res, quibus lecti communiter instruebantur.

v. 14 « *Misit autem Saul apparitores, qui raperent David; et responsum est, quod aegrotaret* ». v. 15 « *Rursumque misit Saul nuntios, ut viderent David, dicens: Afferte eum ad me in lecto, ut occidatur* ». *Hebr.* respondit fem., sc. Michol. Teraphim positum fuerat, ut si quis intraret in cubiculum subobscurum, deciperetur. Satellites vel responso ad ianuam accepto abierunt; vel, ingressi cubiculum lectumque obiter intuiti, verbis Michol crediderunt, maritum in lecto decumbere. Verum Saul gnarus favoris, quo apud omnes fruebatur David, suis ipse voluit oculis videre. v. 16 « *Cumque venissent nuntii, inventum est simulacrum super lectum, et pellis caprarum ad caput eius* ». v. 17 « *Dixitque Saul ad Michol: Quare sic illusisti mihi, et dimisisti inimicum meum, ut fugeret? Et respondit Michol ad Saul: Quia ipse locutus est mihi: Dimitte me, alioquin interficiam te* ». *Hebr.*: *Quare vis, ut interficiam te?*

v. 18 « *David autem fugiens, salvatus est, et venit ad Samuel in Ramatha, et nuntiavit ei omnia, quae fecerat sibi Saul* ». Prophetetae consilium in rebus adversis exquirat, simul locum sanctum, tamquam tutum quoddam asyllum, petit (*Malv.*). « *Et abierunt ipse et Samuel, et morati sunt in Naioth* ». v. 19 « *Nuntiatum est autem Sauli a dicen-*

tibus: *Eccc David in Naioth, in Ramatha*. v. 20 *Misit ergo Saul lictores, ut raperent David. Qui cum vidissent cuneum prophetarum vaticinantium, et Samuelem stantem super eos, factus est etiam spiritus Domini in illis, et prophetare coeperunt etiam ipsi*.

Vocis Naioth incerta scriptio; versiones non verterant: *Chald. domus doctrinae* scripsit i. e. synagogam; derivatum a *בית habitare*, designat habitationem, coenobium prophetarum. Ibi erat eorum *conventus* sen *eclesia*, *בית*, uti recte legunt LXX *Chald. Syr. Ag. Symm. Theod.*, contra *Hebr. Vulg. להקה, cuneum*. Samuel dabat praepositus super eos (*Hebr.*); quem vocis *נבב* sensum colligas ex 3 Reg. 4, 5. 7. — Cf. tamen etiam 1 Reg. 22, 9.

v. 21 *Quod cum nuntiatum esset Sauli, misit et alios nuntios; prophetaverunt autem et illi. Et rursum misit Saul tertios nuntios; qui et ipsi prophetaverunt. (Et iratus iracundia Saul)*, — hoc incisum ex LXX in *Vulg.* penetravit (*Ver.*) — v. 22 *Abiit etiam ipse in Ramatha, et venit usque ad cisternam magnam, quae est in Socho, et interrogavit et dixit: In quo loco sunt Samuel et David? Dictumque est ei: Eccc in Naioth sunt, in Ramatha*.

Traditio servavit accuratam descriptionem loci 10, 5, ubi primum inventus est Saul inter prophetas; servavit accuratam item descriptionem loci, ubi ultimum inter illos versatus est. Socho, locus ignotus; ceterum LXX legebant Sephi, *Syr. Sopha*, et ex comparatione Gen. 36, 23 cum 1 Par. 1, 40 patet, formas Sephi et Sopha facile permutari. Pro *בית הגדול בור cisternam magnam* legebant LXX *בור הגדול cisternam arenam*, quae lectio erit praeferenda (*Weilh.*), supposito priorē vocem *hebr.* reapse primitis caruisse articulo, indeque legi in statu constructo: nam status constructus non ponitur ante adiectivum, sed ante nomen dependens.

v. 23 *Et abiit in Naioth in Ramatha, et factus est etiam super eum spiritus Domini, et ambulabat ingrediens, et prophetabat, usque dum veniret in Naioth in Ramatha*. v. 24 *Et exspoliavit etiam ipse se vestimentis suis, et prophetavit cum ceteris coram Samuele, et cecidit nudus tota die illa et nocte. Unde et exiit proverbium: Num et Saul inter prophetas?* Proverbium tum non primum formatum est, cf. 10, 12, sed confirmatum. Tamen, cum primum eo homines tantum expresserant admirationem, quod tam obscurus homo Saul prophetis accessisset, nunc exprimebant admirationem, quod rex prophetis infensor et quandoque spiritus mali influxibus subiectus divinum quid pateretur.

Saul gradatim hostilem animum manifestaverat; ab invidia processerat ad odium, ab odio ad violentiam; incremente infenso animo, constanter inelauerat cognitio, Deum esse cum Davide eumque regno destinari. Nunc tandem Saul in patentes prorumpit inimicitias, ne Samuelis quidem aspectum et prophetarum veritus asylum: ast nunc quoque Deus miraculo demonstrat, se esse cum Davide, nihilque in illum Saulem valere. Simul, cuius regia electio fuerat inaugurata 10, 10 pro-

phetica ecstasi, eius nunc reprobatio altera eiusmodi ecstasi publice confirmatur. — *Sanct.*: *« Mutavit illum spiritus Domini, i. e. pulsus quidam et mens nova inspirata divinitus, quae priorem regi cogitationem excussit, quae illum insano furore correptum in Davidis exitium praecipitem agebat. Et, quasi eo consilio in Ramatha ad Samuelem prophetarumque collegium venisset, ut laudaret Deum hymnosque sacros in illorum conventu rite concineret, sic, puto, a divino spiritu in eo tantum articulo mutatus, Samuelis atque Davidis immemor, illa cantando recitabat carmina, quae nunquam didicisset, imo quae neque ipse animadverteret, cum illam carminibus sacris operam daret, neque cum ad se rediit, quidquam eius a se fuisse tentatum recordaretur ».*

Hebr. ingrottebatur ingrediens atque prophetans, constructio usitata ad intensitatem actionis exprimendam. — *Exspoliavit se*, ergo etiam, quidquid ad ornatum regium pertinebat, deposuit (*Ps. Hier.*). Universim igitur prophetae, dum conferti prophetabant, superiores vestes deponebant. — *Cecidit*: audacius *Keil* inde, quod in hoc inciso non scribatur, *etiam ipse*, infert reliquos non cecidisse, prophetarum et satellitum ecstasin brevius durasse ecstasi ipsius Saulis. Quid ipsis contigerit, non edoceatur.

3) Reconciliatio tentata sed repudiata 1 Reg. 20, 1-43.

*Cap. XX v. 1 « Fugit autem David de Naioth, quae est in Ramatha, veniensque locutus est coram Ionatha: Quid feci? quae est iniquitas mea, et quod peccatum meum in patrem tuam, quia quaerit animam meam? » Reliqui coram patre tuo, se. tamquam iudice. Verba sunt innocentis, qui causam iniuriae examinari postulat, ubi nullam esse posse causam scit, nisi forte erroneam, quam explicari indeque dilui percipit. Fugit fortasse, dum adhuc Saul ibidem prophético spiritu agitabatur. Ex eo, quod eius fuga et adventus simul a s. auctore narrentur, non sequitur simul locum habuisse. Potuit David, Rama egressus, aliquamdiu latere; interea potuit perquisitio ipsius subsidere, sive quod Saul divino interventu 19, 20 sqq. esset perterritus, sive quod frustra Davidem perquiri intelligeret, sive quod furor quieverit, sive quod subditi invisum opus seculiter exsequerentur. Hinc potuit Davidi animus addi, ut propius ad aulam accederet, et Ionatham ex conducto conveniret. Convenit autem inermis 21, 8, fortasse etiam habitu e mentito. Saulem aliquamdiu aliqua Samuelis admonitione, ei in Naioth data, esse cohibitum (*Clair*), minus probabile videtur ex 15, 33.*

Pulchre *Beda*, ad illa verba v. 28 *« Rogavit me obnix, ut iret in Bethlehem »*, exponit, quomodo David de reditu ad Saul cogitare potuerit: *« Mirum quidem videtur iuxta literam, cur hoc modo de David vel Saul cogitare et interrogare, vel Ionatham respondere voluerit; cum manifestissima praecesserit causa regii livoris, quae non frustra David suae salutis, imo etiam vitae consulere debuisset.*

Nisi forte putandus est Saul ebreo se invadente daemónio multa fecisse vel dixisse, quae more emergentiorum nec praemeditari prius, nec post remissici valuerit; inter quae haec quoque in David parentis potius quam audientis animo gesta credi debere. Cui etiam sensui videtur adstipulari scriptura, quae, absente a mensa Saulis David, non praemissam iniuriam retractasse Saulen, sed tantum cogitasse dicit, ne forte esset pollutus, vel nocturno videlicet somno, vel coitu, vel aliquo rei funebris vel sordidantis tactu, quo a mundorum iuxta legis edictum arceretur convictu ».

v. 2 « *Qui dicit ei: Absit, non morieris* ». Id infert Ionathan exinde, quod pater, qui omnis se consilii participem faciat, eiusmodi sibi consilium non manifestaverit. Neque assertionis veritati obstat 19, 1, ubi Saul coram Ionatha consilium interimendi David apererat; illud enim erat consilium, longiori tempore ante et stimulante furore expressum, solemnique v. 3 iuramento abdicatum. « *Neque enim faciet pater meus quidquam grande vel parvum, nisi prius indicaverit mihi. Hunc ergo celavit ne pater meus sermonem tantummodo? Nequaquam erit istud* », i. e. non morieris; vel non ita, i. e. non celabit me sermonem istum. Non consuevit celare, nulla est specialis ratio huius rei celandae; verum obtineat Ionatham amor, secus perspiceret, quantum habeat pater rationem huius praecise consilii celandi. v. 3 « *Et iuravit rursus Davidi. Et ille ait: Scit profecto pater tuus, quia inveni gratiam in oculis tuis, et dicit: Nesciat hoc Ionathas, ne forte tristetur. Quinimo vivit Dominus et vivit anima tua, quia uno tantum, ut ita dicam, gradu ego morsque dividimur* ».

Hebr. Chald. וישבע עוד דוד, et iuravit rursus David, contra quam lectionem merito obiicit Then., Davidem nondum prima vice intrasse. LXX וישב דוד ליהנות, et respondit David Ionathae; sed lectio unum a reliquis discrepat. Syr. וישבע לי דוד, et iuravit ipsi David, sc. per sequentia verba vivit Dominus etc. Omnibus perpensis, lectio Vulg. praeplacet עוד וישבע עוד דוד, nam pro 5 tres prostant versiones, et pro עוד item tres. — Hebr. Minime, sc. res habet vel eveniet, ut tu putas; sed vivit Dominus etc. — Uno tantum recte supplent Vulg. Chald. Syr.

v. 4 « *Et ait Ionathas ad David: Quodcumque dixerit mihi anima tua, faciam tibi* ». v. 3 « *Dixit autem David ad Ionathan: Ecce calendae sunt crastino, et ego ex more sedere soleo iuxta regem ad vesendum: dimitte ergo me, ut abscondar in agro usque ad vesperam diei tertiae* », i. e. secundae diei festi, quae tertia est a numerata die qua David cum Ionatha colloquitur, cf. v. 18. 19. — *Calendae* seu neomenia, initium mensis (Num. 10, 10; 28, 11), ex Num. 28, 11 celebrandae erant sacrificiis et consequenter epulis sacrificibus, constanterque a Iudaeis celebratae sunt: 2 Par. 2, 4; Ps. 80 (81), 4; Is. 1, 13 sq.; Am. 8, 5; Ez. 45, 17; 46, 3; Os. 2, 11 (13); 1 Mach. 10, 34; Coloss. 2, 16. Occasione earum festivitatum assueverat Saul principes secum congregare, et fortasse etiam cum ipsis

de re publica deliberare. *Ego sedens sedeo*, sc. si res de more cedat, nisi tu mihi nunc veniam concedas, ne adsim. Illic sensus versionibus exprimitur, neque necesse est cum Wellh. secundum LXX textum corrigere et ego non sedeo. Textus non affirmat, Davidem solis calendis iuxta regem sedisse, sed tum tanto certius exspectabatur, quod convivio abesse non poterat, nisi praevio sacrificio etiam abluisset. Quare praetextus, quem v. 6 suggerit, non est aliquod negotium saeculare, sed praetextus religionis, qui sufficientem praebet excusationem absentiae a sacrificio. — Verba *dimitte ergo me* Then. indicat esse merae urbanitatis.

v. 6 « *Si respiciens requisierit me pater tuus, respondebis ei: Rogavit me David, ut iret celeriter in Bethlechem, civitatem suam, quia victimae solennes ibi sunt universis contribulibus suis* ». Sacerfium solemne seu dierum esse sacrificium annuum, ostendimus ad 1, 3. 20 sq. Haec sacrificia pridem fiebant apud arcam 1, 21, aliquando Deut. 12 in templo peragenda: dum arca a propria statione exulabat, videntur facta esse in loco, ubi cognatio residebat. Davidem eiusmodi sacrificium mendaciter finxisse, gratuito supponit Keil: potuit quippe revera eiusmodi aliquod sacrificium eo ipso tempore offerri (Est., Calm.). v. 7 « *Si dixerit: Bene, pax erit servo tuo* ». Ergo non erat prorsus inusitatum, talis familiaris celebratitatis causa a regio convivio abesse. « *Si autem fuerit iratus, scito, quia completa est malitia eius* », Hebr. malum ab ipso profecturum. Completum, i. e. decretum est (Arabs) irrevocabiliter. v. 8 « *Fac ergo misericordiam in servum tuum* », indicans mihi foris latenti periculum: « *quia foedus Domini* », Domini nomine consecratum (Lap.), « *me famulum tuum tecum iurare fecisti* »; quare ad eam misericordiam mihi praestandam ex fidelitate obligaris. « *Si autem est iniquitas aliqua in me, tu me interfice, et ad patrem tuum ne introducas me* ». Si reus inveniatur, solutus es obligatione; sed malo tua manu, quam parentis genitoris mortem obire. Hebr. Et usque ad patrem tuum quare duxeris me? v. 9 « *Et ait Ionathas: Absit hoc a te* », ut a me vel occidaris, vel patri tradaris; tua quippe mihi innocentia indubia est; « *neque enim fieri potest, ut si certe cognovero completam esse patris mei malitiam contra te, non annuntiem tibi* ».

¶ Vulg. interpretata est causale: neque enim fieri potest; constructio est possibilis, sed minus obvia. Mellius adversativum: « sed, si certe cognovero decretum esse malum de patre meo profecturum in te, neque indicavero tibi » — Ellipsis est scripturae familiaris; supple: « haec et haec faciat mihi Deus » (Keil). Textu leviter alterato Syr. hanc obtinuit apodosis: veniam ad te, et indicabo tibi.

v. 10 « *Responditque David ad Ionathan: Quis renuntiabit mihi, si*

quid forte responderit tibi pater tuus dure de me ? » N versiones unanimiter verterunt *si forte, an forte*. Promiserat Ionathan, se nuntiaturum esse Davidi: id praestare poterat vel immediate per se, vel mediate per nuntium. Nunc personam nuntiaturi exquirat David, ne pateat deceptioni. Responsum dat Ionathan v. 22. v. 11 « *Et ait Ionathas ad David: Veni, et egrediamur foras in agrum* ». In domo videntur primum collocati esse; nunc Ionathas, Deum iuramento appellaturus, in apertum prodit (Ios.). Minus placet *Vatabl.*: « Hoc dicit, ut familiarius colloquantur »; fuerant enim iam ante ab omnium conspectu remoti. Responsioni ad petitum praemittit foederis pridem initi renovationem. « *Cumque exissent ambo in agrum* », v. 12 « *ait Ionathas ad David: Domine Deus Israel, si investigavero sententiam patris mei crastino vel perendie, et aliquid boni fuerit super David, et non statim misero ad te, et notum tibi fecero* », v. 13 « *haec faciat Dominus Ionathae, et haec addat* »: haec iterum iterumque infligat mihi. « *Si autem perseveraverit patris mei malitia adversum te, revelabo aurem tuam, et dimittam te, ut vadas in pace, et sit Dominus tecum, sicut fuit cum patre meo* ». *Ps. Hier.*: « Sublime faciat regnum tuum, sicut sublime fecit patris mei regnum ». Illic primum Ionathas clare pronuntiat, se Davidem futurum regem agnoscere, et qua tali illi adhaerere. Cf. 16, 13 sq.; 18, 12. 14. 28. Quod Saul invidiose formidat, regnum divinitus Davidi tribendum, id Ionathas sponte acceptat.

מחר השלישית non est *cras hora tertia* (Syr.), sed *mane tertiae diei*, i. e. *perendie mans*. Quod usque perendie mane investigatur, utique *crastino vel perendie* (Vulg.) investigatur. — Si autem placuerit patri meo malum (Hebr.): est lusus verborum inter יושב אל אבי and כוב אל דוד. Verbotenus quod attinet malum, ad quam constructionem cf. 2 Reg. 11, 25 et *Ev.* §. 277 d.

v. 14 « *Et si vixero, facies mihi misericordiam Domini* », cf. 2 Reg. 9, 3, « *quali Dominus uti consuevit erga homines* » (Sacy), vel simpliciter: *misericordiam magnam*. Non enim exiguum quid sibi petebat Ionathas, idemque v. 13 domui suae, si attendas morem Orientis, quo novus rex depulsi praedecessoris familiae radicatus interimeret. Idem sibi postulat Saul 24, 21 sqq. « *Si vero mortuus fuero* », v. 13 « *non auferes misericordiam tuam a domo mea usque in sempiternum, quando eradicaverit Dominus inimicos David, unumquemque de terra*. (Auferat Ionathan de domo sua, et requirat Dominus de manu inimicorum David). Hoc incisum ex LXX in *Vulg.* penetravit (Verc.); non es nisi altera v. 16 versio, eo praefereunda, quod verbum optativo, non praeterito vertat, ipsum tamen verbi sensum non expressit. v. 16 « *Pepigit ergo Ionathas foedus cum domo David, et requisivit Dominus de manu*

inimicorum David ». Confusionem parit vox מל multoties repetita, neque semper eodem sensu. v. 14 omiserit *Vulg. LXX* primum et secundum מל, v. 13 omisit *Vulg. secundum*, dum illud LXX vertebat et *si non*, ita tamen, ut in constructione prorsus abundet. Veritatem vidit *Syr.*, primum מל v. 14 punctans מל *utinam*. Praeterea *Vulg. LXX* in fine v. 14 legebant vel suppleverunt particulam conditionalem: *si mortuus fuero*. Secundum haec planius, fidelius et vividius reddi potest *Hebr.*: *Et utinam, si vixero ego, utinam facturus sis mecum misericordiam Domini; et utinam, si mortuus fuero, non auferas misericordiam tuam a domo mea usque in sempiternum; et utinam, quando feriet Dominus inimicos David, unumquemque de terra, feriat Ionathas foedus cum domo David, et ultionem requirat Dominus de manu inimicorum David*. Vel omissa particula conditionali, quam *Vulg. LXX* fortasse non legerunt sed suppleverunt, et servata divisione *Masor.*, ita vertere licet: *Et utinam, si vixero ego, utinam facturus sis mecum misericordiam Domini, et non moriar; et non auferas etc.* Sensus planus est: Ionathas, v. 13 Davidi regnum apprecatus, sibi suaque domui deprecatur regis futuri misericordiam, concluditque generali contra eiusdem inimicos imprecatioe.

Est lusus verborum inter *ferire foedus et ferire (eradicare) inimicos*: — בקש de ultione requirenda cum *Chald. Arab.* intelligit *Castelli*; item *Arabs* ad Ios. 22, 23. — Sequenti versu, sive cum *Masor.* legas השבתי, sive cum LXX השבתי, sensus omnino esse debet, Ionatham iurasse Davidi respectu eorum, quae salutem Davidis spectabant, non exegisse ab illo iuramentum respectu suae et posteritatis salutis; secus non posset illud iuramentum dici profectum esse ex magno Ionathae in Davidem amore.

v. 17 « *Et addidit Ionathas deierare David, eo quod diligeret illum; sicut enim animam suam, ita diligebat illum* ». Iam sequentes versus continent id, quod Ionathan iterato iuramento Davidi promisit. v. 18 « *Dicitque ad eum Ionathas: Cras calendae sunt, et requireris* »; v. 19 « *requireretur enim sessio tua usque perendie. Descendes ergo festinus* », — potius verte: *Erit enim sedes tua vacua; et perendie magis etiam requireris* — « *et venies in locum, ubi celandus es in die, qua operari licet* », — verte: *ubi celatus fueris cras — et sedebis iuxta lapidem, cui nomen est Ezel* ».

יבקש recte vertit *vacua erit Chald. h. l.* et v. 25. 27, *Vulg. v. 25. 27. Arabs v. 25. Pro* (M^{asor.}, *Vulg. descendes*) reliqui verius legebant הבקש *requireris*; sensum verius perspexerunt *Chald. Syr.* — *Venies*, sc. tertia die seu perendie. — *Venies vertunt dies, qua operari licet*, ergo dies feriatus. Sed num alia laibula frequentabat David diebus feriatis, alia diebus festis? Simplicitate sua se commendat lectio *Syr.* בהרה *cras*. Ergo perendie eodem in loco latebis, ubi latueris cras. Cur

ita? Ut, si forte ipsa neomenia Ionathas discat patris mentem, eo ipso die possit Davidi nuotare. — *Sedebis iuxta lapidem* Ezel. Certe אורל cum *Hebr. Vulg.* legebat *Chald.* vertens אורל unde, cum utraque radix significet ire, non improbabilis est explicatio *Lyr.*, *Vatabl.* et aliorum, designari lapidem viatorum, qui ad viam indicandam esset erectus. Sed *LXX Syr.* pro אורל legebant אורל iuxta lapidem illum. Ionathas utique lapidem accuratius descriperat, sed s. auctor, omissa descriptione, indeterminata formula utitur. — *Brunsum* pro אורל legebant *LXX* אורל aceruus, sed obstat v. 20 suffixum fem. אורה, cum אורל sit masc., cf. 4 Reg. 15, 25.

v. 20 « *Et ego tres sagittas mittam iuxta eum, et iaciam quasi exercens me ad signum* ». Obiciunt, pauciores tribus postea Ionatham misisse sagittas: v. 36 duae saltem recensentur sagittae, tertia iacta esse non negatur, sed id solum, quod ibi necessario narrandum erat, exprimitur. v. 21 « *Mittam quoque et puerum, dicens ei: Vade, et asser mihi sagittas* ». v. 22 « *Si dixerit puero: Ecce sagittae intra te sunt, tolle eas; tu veni ad me, quia pax tibi est, et nihil est mali, vivit Dominus. Si autem sic locutus fuero puero: Ecce sagittae ultra te sunt; vade in pace, quia dimisit te Dominus* »; ipse te iubet recedere. Cum *LXX* lege: *Ecce sagitta intra te est*, i. e. ex hac parte tui, proprii mihi, nam suffixum est sing.; ex אורל אורל facile oriri potuit אורל אורל.

v. 23 « *De verbo autem, quod locuti sumus ego et tu, sit Dominus inter me et te usque in sempiternum* », tamquam vindex, non secreti servandi (*Arabs*), sed promissionis implendae (*Malv.*). Cf. Gen. 31, 48 sqq. v. 24 « *Absconditus est ergo David in agro, et venerunt calendae, et sedit rex ad comedendum panem* ». v. 25 « *Cumque sedisset rex super cathedram suam, secundum consuetudinem, quae erat iuxta parietem, surrexit Ionathas, et sedit Abner ex latere Saul, vacuusque apparuit locus David* ». Lege: Et Ionathas sedit ex adverso. Ionatham ex adverso regis consedissee, evidens fit etiam inde, quod Saul illico quaestionem v. 27 ad Ionatham dirigit, et quod v. 33 lanceam in eum iacere nititur. Abner, princeps militiae, utique dexteræ regis assidebat, sinistra Davidi reservata.

LXX pro אורל surrexit legebant אורל, quod de omni genere motionis ex adverso seu coram aliquo usurpatur: cf. Ps. 16 (17), 13; 88 (89), 15. Ipsi perperam vertunt אורל, vertendum sedit ex adverso. אורל primum defiguratum est in אורל, hoc scriptioe defectiva evasit אורל. Recte notat *Wellh.*, id narratione exprimi, omnia consuetæ ratione peracta esse, quo facilis adverteretur illud unum, quod insuetum erat, absentia David; ergo exprimitur, Ionatham consuetæ loco consedissee.

v. 26 « *Et non est locutus Saul quidquam in die illa; cogitabat enim, quod forte evenisset ei, ut non esset mundus, nec purificatus* ». Lev. 7, 20: « *Anima polluta, quae ederit de carnibus hostiae pacificorum,*

quae oblata est Domino, peribit de populis suis ». *Sanct.*: « *Cum maculae, quae a sacra mensa remonent, plurimae sint, ab illarum aliqua putabat Saul Davidem esse pollutum* ». v. 27 « *Cumque illuxisset dies secunda post calendam* », i. e. dies secunda calendarum, cf. dicenda ad v. 33, « *rursus apparuit vacuus locus David. Dixitque Saul ad Ionatham, filium suum: Cur non venit filius Isai nec heri nec hodie ad vescendum?* » v. 28 « *Responditque Ionathas Sauli: Rogavit me obuiare, ut iret in Bethlehem, et ait* »: v. 29 « *Dimitte me, quoniam sacrificium solenne est in civitate, unus de fratribus meis accessit me* », *Hebr.* ipse frater meus, sc. natu maximus. « *Nunc ergo, si inveni gratiam in oculis tuis, vadam cito, et videbo fratres meos. Ob hanc causam non venit ad mensam regis* ». v. 30 « *Iratus autem Saul adversum Ionatham, dixit ei: Fili mulieris virum ultro rapientis, nunquid ignoro, quia diligis* » — *Hebr.* praefers, sc. mihi; *LXX* coniunctus es, legens אורל pro אורל — « *filium Isai in confusionem tuam, et in confusionem ignominiosae matris tuae* » Ratio, cur Saul propriae uxori convicietur, neque ex textu neque aliunde ulla apparet. Quod *Vulg.* *LXX* verba ad Ionathae matrem retulerint, non inde factum est, quod pro אורל legerint אורל (*Wellh.*), sed quod genus fem. pro abstracto poni non animadvertierint. Verte: filii perversitatis pertinaciae, i. e. pertinaciae in perversitatem degenerantis; *Duguet* « *fili perversæ et perversæ* ». Quam expositionem novit *Malv.*, et *Calv.*: « *Cave tamen* », inquit, « *hoc accipias a Saule dictum de matre Ionathae* ». Ultima verba verbotenus sonant: *et in confusionem nuditatis matris tuae*, quae est utique supremum genus confusionis. Tibi aliquando amor David erit confusioni, et etiam matri tuae, ex cuius utero prodiisti. Etiam haec verba non matri probrum inferunt, sed filio. v. 31 « *Omni diebus, quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu neque regnum tuum. Itaque iam nunc mitte, et adduc eum ad me, quia filius mortis est* », quia ipsi moriendum est. Adverte, quam deliberate Saul necesse Davidis divinum decretum de conferendo illi regno subvertere studeat. v. 32 « *Respondens autem Ionathas Sauli, patri suo, ait: Quare morietur? quid fecit?* » v. 33 « *Et arripuit Saul lanceam, ut percuteret eum* », ipsum primogenitum interempturus, ut thronum suae domus conservaret. « *Et intellexit Ionathas, quod definitum esset a patre suo, ut interficeret David* ». v. 34 « *Surrexit ergo Ionathas a mensa in ira furoris, et non comedit in die calendarum secunda panem. Contristatus est enim super David, eo quod confudisset eum pater suus* », opprobrio eum affecisset. Aegrius fert Ionatham iniuriam Davidi, quam sibi illatam (*Clair*). v. 35 « *Cumque illuxisset mane, venit Ionathas in agrum iuxta placitum David* », — quod placitum *Chald.* inteligit de tempore; melius *Vulg.* *LXX* indeterminate — « *et puer parvulus*

cum eo »; qui non ita facile, quid ageretur, suspicaretur. Hoc mane fuit alterius post calendae diei, nam ipsae calendae v. 21 et dies secunda calendarum v. 27, seu prima post calendae, iam effluerant; vespere secundae diei secundo Saul accubuerat, ergo nunc iam mane tertiae diei agebatur. Quomodo id quadrat cum v. 18 sq., ubi de solis duabus diebus sermo est? Eo loco affirmatur, non prima post calendae die Ionatham Davidi nuntium esse allaturum, sed ea die et ipsis calendis Davidis absentiam fore conspicuam; monetur iis elapsis diebus David v. 19 ad locum conductum venire. v. 36 « *Et ait ad puerum suum: Vade, et affer mihi sagittas, quas ego iacio. Cumque puer cucurrisset, iecit aliam sagittam trans puerum* ».

Recte aliam supplevit *Vulg.*, duas enim saltem misit Ionathas sagittas. Dum primam iaciebat, adstabat puer locumque notabat; dum curreret ad locum, alteram misit Ionathas, de qua vere dici poterat: *Est sagitta longius istinc (Hebr.)*. Exiit autem cum puero Ionathas, ne solus exiens suspicionem attraheret: secus potuisset recta solus Davidem adire.

v. 37 « *Venit itaque puer ad locum iaculi, quod miserat Ionathas; et clamavit Ionathas post tergum pueri et ait: Ecce, ibi est sagitta porro ultra te* », longius istinc. v. 38 « *Clamavitque iterum Ionathas post tergum pueri, dicens: Festina velociter, ne steteris* »; ne puer prope latentem David advertere posset; vel quod impatientia consumeretur Ionathas conveniendi Davidis. « *Collegit autem puer Ionathae sagittas, et attulit ad dominum suum* ». Pluralem sagittas habent *Keri* et versiones omnes. v. 39 « *Et quid ageretur, penitus ignorabat; tantummodo enim Ionathas et David rem noverant* ». v. 40 « *Dedit ergo Ionathas arma sua puero, et dixit ei: Vade, et deser in civitatem* ». v. 41 « *Cumque abiisset puer, surrexit David de loco, qui vergebat ad austrum, et cadens pronus in terram, adoravit tertio* », vel potius ter; « *et osculantes se alterutrum, fleverunt pariter, David autem amplius* ».

Hebr. surrexit de iuxta austrum נָסַב, quod fortasse ortum duxit ex נִסְבָּה *accensus* (LXX). *Chald. Syr.*, uti v. 19; *de iuxta lapidem*. — *Autem: Vulg. Syr.* legebat נָסַב, sed *Hebr. Chald.* LXX נָסַב *donec* מְבִיטִים *magnum* seu *multum* fecit; ita etiam *Chald. Syr.* מְבִיטִים. Sed quid multum fecit? *Vulg.*: *stetum*, *flevit* abundantius. Cur non tempus? *donec* Davidi sero fieret. — LXX *ἔως*; *συντάξις*; *πυρὸν*, unde ortum sit nascimus.

v. 42 « *Dixit ergo Ionathas ad David: Vade in pace* », cf. v. 22. Haec verba, quae sunt colloquii ultima, confirmant explicationem modo datam, *donec*. « *Quaecumque iuravimus ambo in nomine Domini, dicentes: Dominus sit inter me et te, et inter semen meum et semen tuum, usque in sempiternum* » — supple: *rata sint*, vel « *eorum me-*

mento » (*Sa*). Ellipsis Hebraeis familiaris, unde non oportet cum *Wellh.* expungere dicentes: « *quoad ea, quae iuravimus, Dominus sit inter me et te* ». v. 43 « *Et surrexit David, et abiit; sed et Ionathas ingressus est civitatem* ».

PARS II. DAVID FUGITIVUS IN TERRA IUDA 1 REG. 21-26.

Haec pars tria membra complectitur. Primum (21, 1-22, 23) ostendit, quomodo David, per diversa loca vagatus, tandem monitu prophetae Gad Iudaeam repetit; colligitur circa illum manus fortium, accedit pontifex. Alterum (23, 1-13) in liberatione Ceilae exhibet Davidem vel exulium salutis Iudaeorum sollicitum. Tertium (23, 14-26, 25) miram ostendit Dei circa Davidem providentiam.

1) David huc illic incertus vagans 1 Reg. 21, 4-22, 23.

Ang. — David fugitivus Noben venit et ab Achimelech pontifice, quaesito praetextu, panes accipit et gladium. Inde confugit in Geth; sed, eam civitatem minus tutam sibi reputans, in spelunca Odollam primos sibi socios adiungit. E Moabotide in Iudaeam a propheta redire iussus, in saltu Haret delitescit; pontifex vero ob praestitam Davidi opem cum octoginta quatuor sacerdotibus iussu Saulis trucidatur; cuius filius Abiathar a Davide benigne excipitur.

Cap. XXI v. 1 « *Venit autem David in Nobe ad Achimelech sacerdotem, et obstupuit Achimelech, eo quod venisset David, et dixit ei: Quare tu solus, et nullus est tecum?* » Ex 22, 11, 19; Is. 10, 31 (32) nomen civitatis est *Nob*, dempto 7 locali; erat ea tribus Benjamin, prope Anathoth (2 Esdr. 11, 32), et quidem meridie versus, haud procul Ierusalem; inter civitates sacerdotales pridem Ios. 21 non recensebatur. De Achimelech dicemus ad 22, 9. — *Obstupuit*: *דָּבַד* usurpatur de affectu modo vehementiore 28, 5; Iob 37, 4, modo pacatiore 4 Reg. 4, 13. *Obstupuit*, quod David solus adventare: tantus quippe erat vir, ut iam non sine comitatu in publicum prodire consueverit. Noverat praeterea fortasse pontifex regis in Davidem invidiam, ideoque hunc profugum esse suspicabatur; tum vero aderat timoris ratio, cum neque Davidem praesentem, neque regem absentem offendere luberet. v. 2 « *Et ait David ad Achimelech sacerdotem: Rex praecepit mihi sermonem* », i. e. rem aliquam, « *et dixit: Nemo sciat rem, propter quam missus es a me, et cuiusmodi praecepta tibi dederim; nam et pueris* » — pueris autem — « *condixi in illum et illum locum* ». Lege *keri* יְעוּדָרִי pro *kehib* יְעוּדָרִי.